



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Incllyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietary Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput Finale. (a) Idem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

impetitione dicti C. sententialiter duximus absolvendam, perpetuum illi super hoc silentium (d) imponentes.

NOTÆ.

1. (a) **P**landa.] Forſan legendum eſt, de Ploda, quod eſt ditiffimum cœnobium in Italia, juxta lacum Larij, ut refert Paulus Jovius in *deſcriptione ipſius lacus*.

2. (b) **I**racundia.] Sed non extra mentem, aut judicio alienatus; quo caſu etiam votum tempore iracundiæ factum valet. Suarez de *reli-*

gione tom. 2. lib. 1. de voto, capite 9.

(c) **C**onditione.] Quæ ſi expreſſa eſſet, redderet actum conditionalem, ita ut ea deficiente, nullus eſſet, juxta tradita à Baſilio *lib. 3. de matrim. cap. 1.*

(d) **I**mponentes.] Cùm maritus conſenuit, caſtitatemque ſolemniter promiſerit, & obſequiis hospitalis ſe devoverit, juxta ſuprà tradita *in cap. 1.*

CAPUT FINALE.

(a) Idem.

Mulier, quæ in fide remanſit, poteſt nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Eccleſiæ ſeparata, ad religionem liberè convolare.

NOTÆ.

1. (a) **I**dem.] Gregorius IX. videlicet, qui præſentem conſtitutionem edidit motu proprio, abſque ulla relatione, ſeu conſultatione, cùm

nulla Decretalis extaret in hoc titulo, quæ caſum adulterii ſpiritualis comprehenderet, in quo idem dicendum eſſe, ac de adulterio carnali, jam ſuprà notavimus *in cap. 3. De divortio* ob hæreſim infra agemus *in cap. quanto, de divortio*.

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

CAPUT I.

(a) Cœleſtinus III.

AUDABILEM, &c. *Et infra:* Cæterum, quod interrogasti de Sarracenis, qui dum in captivitate eſſent quarundam Chriſtianarum, viros earum (b) inſidiis, & machinationibus occiderunt, utrum quia poſtea per ipſas ad fidem chriſtianam converſi ſunt, eaſdem de jure accipere poſſint in uxores, vel ſi duxerint, ipſum conjugium teneat. Hic Triburiensis (c) Concilii regulâ contenti ſumus, aſſerentis, quod ſi in mortem ipſorum virorum malitioſè fuerint machinata, licet earum ſtudio ad eccleſiaſticam fidem acceſſerint; tamen nec eis adhærere debent, nec ſunt, ſi adhæſerint, tolerandi: non enim hîc diſpenſatio ſine periculo poſſet admitti, cùm tale damnum tali lucro Eccleſia compenſare non velit. Ad hæc Sarraceni quidam, qui in bello ſunt, Chriſtianos interteſſe notati; & chriſtiani ſimiliter Sarracenos, poſtea verò Sarraceni ad catholicam fidem à Gentilitatis errore converſi, uxores eorum, quos certamine bellico neci traderant, ſibi matrimonialiter copularunt, idipſum & Chriſtiani de Sarracenis mulieribus converſis ad fidem feciſſe noſcuntur; quæ tamen poſtquam priorum virorum morte compererunt veritatem, divortium inſtanter expoſcunt. Reſpondemus quoque in his, quod cùm nec Sarraceni, nec chriſtiani mortem alterutrorum procurari noſcantur, matrimonium hujusmodi inter prædictas perſonas licitè contrahi poteſt, & taliter copulati, cujuſcunque ſexus exiſtant, divortium poſt mortem conjugum poſtulare non poſſunt. Idem (d) ſi quidem juris erit in ſequenti caſu, quem proponere